

A

56500 (114)

56500 (114)  
A 56500  
(114)

~~ll. 3399.~~

A 56550 (114)

QVOD FELIX SIT!  
ILLUMINARE,

SIVE  
DISPUTATIO SOLENNIS,

QVAM  
D. T. O. M. A. A. D.

EX DECRETO  
VENERANDI IN ILLUSTRIS  
ACADEMIA GISSENA PHILOSO-  
PHORUM ORDINIS,

PRÆSIDE,  
KILIANO RUDRAUFFIO,  
PHIL. M. PRIMÆ ET ORGANICÆ  
PHILOSOPHIÆ PROF. ORD.

Acad. p. t. PRO-RECTORE  
PROMOTORE RITE DESIGNATO.

*Publico Omnium cujuscunque, Facultatis*  
DN. PROFESSORUM subjiçient examini


*Atq;*  
Ad subsequencia cuivis adscripta respondebunt

THEMATA,  
IIX. *Honesti, Eximii & Eruditi Philosophia*  
CANDIDATI,

*Ad Gradum Magisterii ex meritis consequendum,*  
In COLLEGIO ORDINARIO Jctorum,  
*Et ordine, quo quisque disputationem suam habuit, citra ullius aut erudi-*  
*tionis aut dignitatis præjudicium, pro nunc saltem, colloçati.*

Die 3. Octobr. An. M.DC.LXVII. 1667

GISSÆ HASSORUM,  
Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPFELII, Acad. Typogr. Ordia.



OPUS  
TITULUM

DISPUTATIO

DE  
VENERANDI IN CHRISTO  
ACADEMIA

KILIANO RUDRAUERO  
PHILOSOPHO  
PROFESSORE

IN  
THEMATICA

DE  
THEMATICA

DE  
THEMATICA



I.

NICOLAUS ALARDVS,  
*Holsatus.*

I.



THEOS practicos, catachresticè, æquivocè & impropriè dictos, omnes terrarum angulos habere, nec theoreticos imperfectos & indirectos deesse, in confesso est: perfectos autem haberi & consummatos, nec pariter confiteri possumus nec probant, vulgaribus argumèta, aut ipsa quoq; exèpla.

2. Antiquioribus atheis annumerantur *Diagoras Milesius, Protagoras, Theodorus* & alii, de quo *Epiphanius in compendiar. fid. exp. Suidas, Cicero, & alij.* Nemini tamen constare potest, quod tales fuerint propriè dicti & consummati. Dicuntur athei, vel iudicio vulgi communè Deorum Theologiam stolidaque gentilium sacra explodentes, vel interpretativè, indirectè vel externè disputantes, imò & malitiosè contra sensum negantes, vel ad tempus dubitantes, &c.

A 2

3. Athe

3. Atheismo indubiam viā struunt principia Cartesianā. Non obstante eā restrictione, quā illa non divinis seu naturalibus applicanda tradunt. Si enim communia hactenus adducta argumenta existentiam Dei certò & evidenter non probant, nec Cartesiani ideales rationes eandē demonstrare possunt, dubius relinquitur & atheismo proximus.

4. Perquam noxium principium est, ita simpliciter positum: De omnibus esse dubitandum, nisi evidentes ponantur probationes: Et, si omnia ea falsa dixeris, juxta Cartesium, quæcunque à sensibus hausta sunt, fallit Christi provocatio, quæ ad sensuum est experiētiam, & illi provocanti credens, Thomas, falli potuit, & forte deceptus erit.

5. Speciosa quidē auditur propositio, ut liberè philosophari queamus, singulis renunciandum esse præjudiciis atque omnia supposita dimittenda esse. Sed juxta hæc non est ad illustrandam perficiendamque philosophiam methodus, nisi erutos velis cū fatuo illo philosopho ad liberius sentiendum & intelligendum oculos.

6. Vel ex populari superstitione lex orta est, de non comedendā ciconia: Vel ex lege Zachariana ingenerata est stolidā religio, ne in cibum pararentur ciconiæ, graculi &c: vid. Concili: Tom. 2. Epist: Zachariæ ad Bonifacium.

7. Cantum cygnorum emortualem, etsi tanquam *ἄσπετος* complurium etiam Patrum suffragiis decantatum in proverbium & pretoricationes abierit, fabulosum dici, nihil vetat.

8. Procedere contra consveta axiomata & effata,  
 Logica

Logica atque Metaphysica, spurium est implicitæ contradictionis gnomisma: Non n. illa in præjudicium divinæ veritatis alleganda novimus. Quapropter idem non est iudicium de genere & differentia respectu speciei, ac de adjuncto proprio respectu sui subjecti. Contra Gisb: Voet: disp. sed. p. 1. p. 416.

9. *Idcirco* rectius legi, quam *idcirco*, ob leniorem prononciationem, negamus. Potius quia in antiquo habetur *idcirco*, & frequens lectio ita obtinuit, mori huic obtemperandum ducimus

10. Taurelli Gorlæique opinio de homine, ente per accidens, ineptè hoc probatur argumento: Duo entia seu substantiæ completæ faciunt unum per accidens. Corpus & anima hominis sunt duæ substantiæ completæ. E. Neque tamen *Gisberti Voëtii* probatur responsio: Quod 1. maior non sit universaliter vera. 2. Christus *deus*, in quo sunt duæ substantiæ completæ, unum sit per se, quia unio ista facta sit *ἁπλοῦς*. p. 878. 876.

## II.

MENNO HANNEKENIVS,  
Lübecensis.

1. *Mennonis Menonisq;* differentia in formali & materiali suppositione claret. *Menno* unde *Mennonitæ* appellantur, nequam fuit & insignis Anabaptistarum præco, Simonis dictus, malè in colloquio *Wismariensi* cum, Martino Micronio a. 1554. d. 6. Feb: habito, negavit.

*maleficos à Magistratū interficiendos. Mero verò quem novimus & veneramus, probus est & orthodoxus, magistratuique concedens auctoritatem debitam.*

2. Margaretam uxorem comitis Hennebergici filiamque Florentii IV. Comitis Hollandiæ, matrem factam filiorum uno partu editorum 365 ut referunt *Iunius, Erasmus, Ludovicus vires, Guicciardinus*, & communiter alii, eo quod pauperculam mendicantem adulterii infimulaverit, quia numerosa proles plures argueret patres, suspectam habemus historiolum, & fabulæ, quam veræ historiæ, similiorem.

3. Adversus atheos suaderè hunc processum. 1. probetur spiritus existentia è spectris apparentibus, ex Oraculis, ex magia artificiali &c. quæ argumenta urget *Vossius l. 1. c. 6. de idolol.* De quo probato quærat, utrum finitus aut creatus sit vel infinitus? Si hoc immeditate Deus conceditur, si illud, mediatè, quia spiritus creatus, dum à seipso esse nequit, neque potest creari nisi à Deo, Deum supponit autorem.

4. Digitus penitus excisus & medicamine resutus labrumque superius more oris leporini fissum, *Haasenschart* recens sectum & è carnibus alterius membri restitutum: Itemque nasus è brachio inciso resectus & reparatus aliæve chirurgiæ mirabiles curationes, nec animæ humanæ divisibilitatem, nec à privatione totali probant regressum. Manet anima nostra ut immortalis: ita indivisibilis.

5. In Immortalitate tamen animæ nostræ asserenda non solum conducet argumentum theoreticum à substantiæ spiritualitate desumptum, sed & illi salutariter additur

ratio

ratio practica : Si Deus est iustus, anima est immortalis  
Non obstantibus illis, quæ movet *Arriaga*.

6. Laudatur assertio, sive *Gregorii* sit *de Valentia* ex.  
*T. I. disp. I. q. 19. p. 3. p. 430.* sive aliorum, quæ Deus ab omni peccati causalitate vindicatur, directe & indirecte, per se & per accidens. Quam veritatem Theologicam dicit *Fr. Cumelius*, orthodoxam *Tannerus*, piam alii.

7. Sanctissimo Numinis instinctu excitatus *Ehud Eglonem*, justè interfecit, & absque culpa. Delira autè non minus persuasio, quàm Diaboica suggestio, quæ *Jacobus Clemens Monachus Henricum Valesium*, nefario ausu, trucidaturus, persuasus erat se *Ehudem* esse, *Henricum* verò *Eglonem*. *Fr. Har. T. 3. an. 1589. p. 428.*

8. Non creditur his atque illis, pura *Nabuchodonosoris* mania, non purum melancholicum delirium, propter quod à ministris & subditis extrusus, aufugiensque in sylvis & desertis fuerit relictus. Probabile autem dicitur, mixtū fuisse aliquod *ergema* instar illius *δαίμωνιζόμενος* *Matth. & Luc. 8.*

9. *Communio panis* est mandata à *Christo*. *Communio sub una* est *communio panis*. E. Vulgariter respondetur, minorem in i. f. hîc esse virtualiter negantem. Quæ responsione à *beat. Ebel.* damnata, meliorem non addidit, addi autem facile potest, & quidem non una.

10. *Priscianus* *letum* legit à *leo levi letum*, quod & delere. Ita & alii ex Grammaticis sed *Varrone* & *Festo* repugnantibus, quibus à *ληθη* oblivione dicitur *lethum*, idq; rectius & frequentius. Incongrue a. *Apulejus Gram.* à *luo* derivat *loetum*, u in œ. Maximè ineptè, qui per antiphrasim à *lætis*, sumunt *lætum*.

CHRISTOPHORVS LVDOVICVS  
Schwarzenau / Alsfeldià-Hafus.

1. Theologiæ Scholasticæ cognitio in multis prodest, nec omninò rejicienda. Non tamen in ea autoritate habenda, quæ cum neglectu linguarum comparanda, multominus studio Biblico, aut lectioni Patrum præferenda, potest utrinque peccari. Ad excessum pertinent papales bullæ variorumque ordinum constitutiones, quibus illa tanquam divina commendatur, omnibus.

2. Thomæ Aq. Archischolastici venerantes sæpe veritatem, laudantes pietatem, celebrantes ingenii capacitatem & admirantes stupendam ejusdem laboriositatē, cum B. Dorſcheo idolemus, tantum tanque capax ingenium nō in ea incidisse tempora, quibus linguæ effloruerunt, liberiorque de sacris concessa est judicandi potestas.

3. In vero tamen veri rationem formalem non expressit veram, quæ sicut non consistit in principiorum conformitate, propriorum possessione, extraneorum separatione, apparentis autem falsi negatione, ita nec in conformitate rei cum intellectu, nec denominatione extrinseca.

4. oh. Schüllerus Cartesianâ infania infectus, multa non capit, quæ vera sunt: Nec in illis aut judicium suspendit aut eruditionibus assurgit: Ira non capit, omne Ens esse bonum, cum audiatur malum, & impiidamnentur ut mali, imò & ipsi diaboli mali sūt. Ignorat hinc, quâ

in communi hac Metaphysica doctrina evitetur <sup>θεολογος</sup> istud: Esse in Filio Dei bonitatem, quæ non esset in Patre. Hanc ipsius ignorantiam quandoque credidimus, ne incredulis irasceretur.

5. **Ens & bonum** juxta Thomã reciprocantur. Nec non finis & bonũ. Licet nō omne id, quod finis rationem habet, verum bonum sit, est tamen bonum, & sub ratione boni movet. Sicut Scholasticorum hinc nata est regula: *Nemo intendens malum, operatur.* De cujus quidem regulæ veritate dubitat celebrat: Philosopho Theologo Casimirianus, *in quadr. disc. 1v. s. 2. a. 2. th. 3. p. 69.* Vera tamen est & certa.

**Una est species hominum.** Quæ fabulantur de variorum elementorum inhabitatoribus pygmæis in terræ visceribus, nymphis in aquis, silvis in aere, vulcanis in igne, adeo ut incertum habeatur, cui generi vera sit data fides in Deum, viaque ad salutem patefacta, aperta continent mendacia.

7. **Mundus non est animal:** Non est unum corpus, spiritu a. animã præditum. Fabulæ sunt recensiones de spiritu mundi.

8. **Malum bono dicitur contrarium & vitium vitio.** Cum, sicut malum est privatio boni, ita vitium virtutis, alterutrum sit privativum. Estne ergo alterum contrariorum privativum?

9. **Simiarum,** quæ animalia sunt bruta, facie hominibus similia, manibusque palpantia ad hominum voluptatem & risum nata. *Martin Lipenius in navig. Salõ, pag. 765.* Varia sunt genera aut species, Cynocephalorum. Satyrorum, Sphingum, &c. ex optimis Indicis nautas Sa-

Tomoneos creditur fecisse selectum, quibus Regem delectarent.

10. Malo *inprimis* quàm *imprimis*, ut discrimen observetur inter verbum & adverbium: Legitur tamen & *imprimis*, quæ lectio non omninò culpari potest aut rejici. Idem Judica de *adsum* & *assum*: Ne quod Plauti habet jocus, quærentian adesset, responderetur dicenti, *assum*: atqui ego malo elixum.

## IV.

GEORGIUS BALEMAN,  
Lübecensis.

1. Ut tres constituunt Philosophiæ Græcæ periodos quarum 1. est Heroica 2. Theologica seu Mythica 3. Philosophica Horn. phil. Hist. 1.3. c. 2. p. 144. atqui totidem recensent Scriptorum Ecclesiasticorum ætates. 1. Patrum usque ad sec. VII 2. mediam usque ad medium Sec. XII. 3. Scholasticorum usque ad Lutherum. Ita tres invenimus Latinorum Status: Infantiam, *αι κρην* & *ωρα γαμην*.

2. Quicquid est, per suam formam est: Forma enim dat esse rei. Elementa ergo suam habebunt formam, quam nec accidentalem nuncupamus, nec qualitates dicimus, licet ab his dum essentialis latet, fiat descriptio & distinctio. Fallit hypothesis recentiorum de una forma substantiali.

3. In politia quandoque electio prævalet successioni, quandoque hæc illi. In successionem vel regno hæreditatio ante Regis excessum sine difficultate per se nominari

uari atque constitui potest successor. Non pariter in electione vel electio regno, ubi majori circum spectione & discussione opus est, ne intempestivæ electionis sequatur poenitentia.

4. Si in Imperio Romano Germanico Leges requirunt Imperatorē Germanum imperii statum. Non violarunt hanc legem Electores in imperium vocando Carolum V. prout Moguntinus solidè in confessu monstravit. Dissensionem circa Locum nativitatis Carolinæ non magnificimus, nec Bodini objectiones attenduntur. Imo si hæc lex non esset aut illi satisfieri nequiret, qui tamen casus non sit dabilis, suprema Lex est Salus publica.

5. Virtutis forma in mediocritate ponitur rectâ ratione definita, cui utrumque opponitur extremum. Alii malunt in conformitate cum voluntate Dei aut rectâ ratione, ut contra peripateticos disputat Schulerus, sed non sine prædecessoribus p. 411. Cur non in inclinatione & excitatione voluntatis ad honestatis actus? Quod dum ex natura habitus inquirimus, cogitationem magis firmat similis assertio Fr. Joh. Poncii, Scotistæ egregii p. 346

6. Pretiosa res est, & felicissimi ingenii, è tempore dicere, respondere & consilium dare. Faciles autem illi deprehenduntur ad lapsum & immoderationem incurrunt, qui vel deliberandi vel meditando negligunt tempus. Non ignominiosum duxerunt gravissimi Oratores, Pericles, Demosthenes, alii, orationes recusare, quandoque à populo vocati, quod non essent parati, Apelles pictori glorianti se modò istam pinxisse imaginem, respondet:

det: Scio, & si taceres, quod celeriter picta sit; miror, quod tales non pinxeris plures:

7. Conveniunt lux & lumen, quod utrumque accidens est, in genere qualitatis, tertia specie, ab alio dependens, Græco nomine φῶς sed differunt, ut causa & causam, lux luminis enim parens est, differunt formali denominatione & subjecto.

8. Constantinum senem admodum & morti obinsperatum morbum vicinum ab Eusebio Nicomediæ baptizatū, testantur Theodor. Ruffinus, Socrat. Sozomen. Ambrosius, Eusebius Cæs. & plures alii. Baronius cum sua cohorte pro Papa Sylvestro pugnant, sed argumentis fictis & ineptis, dum statim ab initio ex Ethnicis probaturus certa pronunciat, quæ omnino dubia & incerta sunt.

9. Certa nobis est Sibyllarum ἐτυμολογία incertus numerus, incertior autoritas, etiam illorum librorum, qui remanserunt, qui sicut incerti sunt auctoris, ita nobis fidē divinam conferre nequeunt, sive bono piorū dolo propter conversionem inventi, sive veris vaticiniis instructi.

10. Non est deserenda consueta hætenus & recepta ἐυφωνία in pronuntiatione verborum, afficio, assiduus, collega, affinis, aggredior, pro quibus, recentiore, quidam legunt & scribunt, adficio, adfiduus, conlega, &c. sequentes *Andr. Resendium & Achill. Statium*, Lusitanos ut & Lambinum in orat. Ciceron. pro Muræna, conquerentem, non afui, a fore dici. Sum, es, est,

Esß / wie es ist  
gewest.

**GEORGIUS LUDOVICVS** *Episcopus*  
*Michelstatinus Othosylvanus.*

1. Scientia Media non est monstrosa & prodigiosa foeditas, efficta ad declarandum divinae praedestinationis mysterium, neque recens est inventum ante paucos annos à Lojolæ posteris suppeditatum, contra *Gisbertum Voetium* & *alios*. Est illa fundata in *Scriptura*, in *Patribus*, in ipsa *sana ratione*, ut rariore rei necessum sit illam admitti. Quanquam, si res salvatur, perinde erit, utrum eam ad *simplicis intelligentiae*, sive ad *visionis scientiam* referas, sicut utriusque opinionis sunt rationes & autores haud contemnendi.

2. Omnino a. concedendum & statuendum est, futura conditionata à Deo cognosci & quidem ante decretum. Intellectus prior est voluntate, quod adeo certum sibi habet *Lusitanus*, ut *l. VI c. 2. q. IV. p. 129.* ad divinas actiones ad extra id applicans, asserat, Deum prius, consideratione nostra, conspexisse infinita tempora & locorum spacia, in quibus rebus possibilibus hujus mundi esse communicare posset, quam illud absolutè communicare vellet aut nollet &c.

3. Usus non. nemo è Theologis nostris scientiæ mediæ suppeditat, ratione praedestinationis, consequenter & justitiæ, asserens, Embryones, & infantes esse praedestinos, quosdam reprobos, quia praeviderit Deus, scientiâ mediâ sub hac conditione: si servasset in vita *superstites,*

perstites, obtulissetque illis ordinaria salutis media, tum non fuisse excussuros prævenientem gratiam &c: Quod rationi non apparet adversum.

4. Voluntas signi, etiam beneplaciti rectè dici potest. Si tamen certo sensu alia dicitur signi, alia beneplaciti, non est fingenda oppositio, multo minus de sanctissima Voluntate dicendum, aliud velle volūtate signi exterius, aliud voluntate beneplaciti interius, quod illa externè significet acceptum, hæc internè rejiciat & improbet.

5. Aperta falsitas, quæ apertè contra Franzium docet Smalcus: Sola ratione dijudicari possibilitatem & impossibilitatem articulorum fidei. Non esse credenda, quæ menti impossibilia videntur: Summam religionem esse rationem. Non enim vel summa vel norma, vel fundamētum, vel caput religionis est ratio, quæ ut præstantissima sit & perfectissima, autoris sui autoritati sese submittere tenetur, quapropter fide indubiâ, servantur etiam ea, quæ contra rationem sunt.

6. Rectè à *Meisnero* reprehenditur *Keckermannus*, docens, ex cognitione naturali, non solùm amorem & dilectionem in nobis mirificè accendi & augeri, verum etiam efficacissimè mentes moveri & pietatem atque cultum Dei excitari. Quod contra *Vedelium* uberius demonstrat *Celebratissimus Philosopho-Theologus, Dn. D. Iohan. Misæus*.

7. Futurorum contingentium, etsi defendi possit determinata veritas & falsitas, si tamen id cum *B. Dn. Ebelio* iyerimus inficias, nihil absoni dictum putabimus.

8. Mentis præfagia divinationesve non quascunque deridet sapientum cohors, quin in omni rationum penuria,

penuria, horrorem incutiat exemplorum evidentia. *Museum J. B. H.* suppeditat notabilem narrationem de *Elisabetha Carlota Illustriss. Comitis Wittgensteinii, Dn. Iohannis, filia*, p. 81. & seqq.

9. *Kalmeuser* / vox est dubiæ acceptionis, nunc bonæ, nunc malæ, sicut illi, qui minus utiles videntur, infelicis successus & umbraticæ industriæ, hoc nomine insigniri solent. Olim non ita, ubi suavissimâ phrasi *רומ-סו* appellabantur Encyclopædiæ structores *Georg. Horn.* in *Hist. Phil. l. 3. c. 2. p. 143.*

10. *Cæcilius Minutianus l. de orthograph.* Sunt qui scribunt, *cojux* à *coëo*, aliis placet *conjux*: Sunt qui *conjux* legunt. Hanc postremam scripturam probat *Priscianus* derivatam à *conjungendo*. Nobis media placet à *jugo, conjugo*, sicut *conjuges* sunt ejusdem *jugi*, ut ait *Festus*: *ἄμω ζυγοί*, neque *conjungium* dicitur, sed *conjugium*.

## VI.

GEORGIVS DANIEL SEIPP,  
*Marburgensis Hassus.*

1. Optimum in hac vita bonū est, sed non impetrabile nobis: Tranquillam bonamque ubivis habere conscientiam, ut in omni casu, in omni iudicio, nobis applicare possimus illud: *Conscia mens recti*, &c.

2. Deus ut causa universalis & prima cum creaturis necessariò concurrit & immediatè, immedatione suppositi & virtutis.

3. Etsi peccatum nunc vel ad exiguum tempus duntaxat  
ravrei

raverit, inde & temporale audit, salvâ tamen Dei justitiâ poena sequitur æterna. Nihil enim movere possunt rationes illæ ab Ernesto Sonnero Socinianizante in pecul. demonstr. adductæ.

4. Omnino *Jes. Tannerus in Colloq. Ratisb.* opposentis suscipit partes, objiciens: Aaronem non fuisse summum Sacerdotem, sed Mosén, quia Moses Aaronem cōsecraverit. Proinde in eo fallit *Nihusius* Apost. id inficiando, asserens. Respondentes manemus, ut ut arguentemur: Neq; enim syllogismus noster antitheticus est. *Hypodigm. sect. 16. pag. 147.* Ex nova ea responsio deprompta est arte, quam antiqua veritas susque deque habet.

5. Causa mali moralis est, qui dum potest & debet. non impedit, quantum potest, malum. E papa evertisse dicitur, Græc. imperium, qui preces *Manueris*, Imperatoris pientissimi, an. 1418. auxilium instantissimè sollicitantis, ob neglectam venerationem imaginis Christi in dextta manica Chorepiscopi in textæ, dimisisse fertur inanes.

6. Explosa est *μετεμψυχωσις* & absona est. Traditur tamen inde apud Turcas esse, quod Christianis interdicitur usum Campanarum, ne per aerem palantes animos timor incussus quiete quâ fruerentur, expoliaret. *Georg. Phelavius p. 29. Ep. ded. ex Allatio, tract. Christ. Angeli.*

7. *Cornel. à Lap. Com. c. 1 Eccl.* Græcorum everisionem in errorem conjicit de processione Spirit. S. quod in ipso Spir. S. festo an. 1453. tanta acceperint vulnera, inquiens: Maluerunt otiosis falsisque disceptare verbis, quàm seriis contra Barbaros decernere armis. Avertat Deus, ne idem in posteris experiantur judicium, qui nunc & hæc tenns in sua sæviunt viscera, Vid. Sim. Starivolscii ad princ Chr. protrepticon. Nicolai *Gausini* ad eosd, angelus pacis, &c.

8. Non

8. Non differunt secundum rem, intellectus & voluntas, nec inter se, nec ab anima. Imo omnes potentia animæ, materiales & immateriales sunt ipsa animæ; Unde in quocunque statu eas servari necesse est. Idem tenemus de angeli potentiis.

9. *Augustinus Niphus* Phil. Clariss. ut occasione prudenter uteretur, rectoque tempore sapere, noluit intempestivè suâ super militum petulantia ad Carol. V. deforme querimoniam, sed Imperatoris expectavit quæsitum, de vitæ præsentis felicitate, & respondit: *A se suisque pradiis procul habere Hispanos milites.* *Casp: Ens Epidor. l. 4. p. 81.* Discant illi, qui simplicitati quandoque illudunt Philosophorû, suam agnosere stultitiâ, quam ejiciunt Philosophi.

10. *Parricida* habent quidam veterum libri, sed rectè *parricida* à Patre, T in R mutato. Quæ sententia Scaligero præfertur. Lambinus tamen in Orat. Cic. pro Milone, etiam *parricida* in veteribus membranis testatur legi. *Orthoga. Aldi M. Andr.*

## VII.

## IOHANNES WILHELMVS HARHOFIVS.

*Susatensis Westphal.*

1. Eximiè *Plutarchus l. de puerorum educatione.* Nobilitas pulchra quidem, sed majorum bonum. Divitiæ verò pretiosæ quidem, sed fortunæ possessio. *n. 41.* Gloria venerabile quid, sed instabile &c: *n. 42.* Eruditio verò eorum, quæ in nobis, sola est immortalis & divinum. *n. 44.* Eruditionis voce comprehenditur Virtus sicut responsione Socratis de felicitate Regis innuitur, quod in illis, non fortuitis bonis, posita sit beatitudo. *n. 47.* S. ergò bonum virtus est, quam cum non diripiat bellum. *Stilpon Megar: Philos: in urbis eversione, nihil se amississe respondet Demetrio. n. 46.*

2. Philosophia quibuscunque prodest & inservit Facultatibus aut disciplinis, quæ in discernendis & explorandis ingenii optimè adhibetur. Qui enim, inquit *Plutarchus*, philosophiam non valentes consequi, in aliis disciplinis nullius momenti, seipso macerant. Et juxta *Bionem*, illi *Penelopæ* appropinquare non audentes, ancillarum ejus tenentur amore. Oportet itaque reliquæ institutionis tanquam caput facere Philosophiam, *n. 65. 67. 68.*

3. Ingenue bona uti fortuna, viri: Absq; invidia, modesti

C

hom inis

hominis est. Ratione superare voluptates, sapientis: Iram moderare, viri non vulgaris est. Perfectum bona ex parte arbitror eruditionis hominem, qui, dum ex Philosophia, ad tranquillam pacificamque degendam vitam, didicit imperare affectibus, tam nitidam mentem aliis imbuendis scientiis primum subderit aptissimam. *Plutarch. n. 72. 73.* Ita remp. administrarunt Pericles, Dion, Syrac.

4. Matrimonium res plena molestiarum, usus præstat pretiosissimos, quibus anumerare colligitur Plutarchus, humiliatorem, ut elatior animus discat comprimere Spiritus, cristamque deponere; Quod ille expertus, qui omnem tristitiam pallidumque vultum, ex conjugio derivabat, quærens ex macilentiori equi pullo: *Busemange/ hasu auch ein frauw genommen* Atque ita an nitendum ducit lit. A. à voluptatibus victos & ad oburgationes inobedientes, matrimonio subjugare: Vinculum enim hoc juventutis tutissimum.

5. Sicut rectè *Christ. Colerus Epist. ad Generos. juv. Stanis: Zeleniam Vitellium de Zelanka;* Noli existimare eos, qui acuti sunt, ideo & rectè semper sentire & judicare. Ut tela nimis samiatæ, magis reflecti quam penetrare solent: Sic acumina istorum offensione aut flexu prius læduntur, quam verum penetrant aut tangunt. *Arista* nihil acutius, sed nihil æque fragile. Ita adhuc obtinet in acutis: Non respiciendum quis, sed quid & quam verè dixerit. Illud in formali universalitatis præprimis observamus;

6. Nec non in notionum secundarum ficta spuriaque realitate, etsi contra eam pugnet universa fere *De: cohors*, cum tamen pauci opponuntur acuti, acumina veritati non præponimus, solam respicientes rationum firmitatem.

7. Jure naturali omnis obligatur homo, nec ab eo quisquam se putet exemptum. Etsi verò Regia Majestas dicatur legibus absoluta, leges istæ nec divinam, nec naturalem complectuntur.

8. Stat firmo loco definitionis utriusque antiquitas. Substantia est ens per se subsistens. Accidens alteri in hærens. Quamquam illa per se subsistentia dextrè explicanda, atque hæc in hærentia tanquam proprium comitetur accidentis naturam: In Logicis tanta prædicamentorum *æxi' Cua non urgetur,*

2. *De rebus:*

9 Detestamur & horremus *Heerb.* verba: Deus novit & voluit peccata, se non efficiente, sed permittente: Quo sensu non per accidens se habet Deus ad peccata, cum fiunt, sed per se, non tamen, quatenus causa propriè dicta efficiens, sed UT DEFICIENS & C.

10 *Auctor* ab augeo, & *Autor* ab αὐτός, auctoritas & auctoritas, promiscue: Imò & *Author* quibusdam placet, à gr. αὐθεντικός. Sicut indifferenter usurpantur, *causa* & *caussa*, *macenas* & *inmacenas* & c. Qui indifferentissimus Grammaticus minoris erit criminis, quam moralis aut Theologicus, quem Syncretismum appellamus.

## IIX.

HENRICVS GEORGIVS DRAVDIVS,  
Dauernheimiâ-Wetteravus

1. Puerorum delicta parva sunt & omnino sanabilia. Sed jam juvenescentium peccata sapè immensa fiunt & improba: Ingluvies ventris, furta paternarum pecuniarum, & aliæ commestrationes, & potationes & virginum ancillarumque amores & mulierum corruptiones nuptiarum. Plut. de educ; 19. Ex quo malè concludetur, lusus alearum ex se & suâ naturâ esse illicitos.

2. *Deus est.* Principium primum naturâ notum est, non pariter propositio per se nota ex terminis. *Ioh. Lalemandet tr. de Deo pag. 20. 30.*

3. Voluntas Dei alia dicitur antecedens, alia consequens, ut jam, olim Damascenus & alii tradiderunt, etsi in se eadem sit & indivisibilis nec una alterâ tempore vel prior vel posterior.

4. Potentia Dei alia ordinaria, alia extraordinaria est. Extraordinaria tamen ordinata est, quæ contradistinguitur absolutæ. Neque coincidunt hæc distinctiones, neque vel ambæ simul vel alterutra negligenda.

5. Non ut in hac vita communis habetur societas atque civilis conversatio, etiam cum Gentilibus aut hæreticis, ita & illic, in altera vita. Quid ergo inter cælites sanctosque cæli cives aut socios numerantur Hercules, Theseus, Socrates, Aristoteles, & c.

6. Nugantur Poetæ fortunam Deam, res secundas & adversas.

20  
verfas pro arbitrio dispensantem, *Te facimus, fortuna, Deam,*  
*caloque locamus.* Juv. Cujus caput obvolvunt linteo, ne dignos ab  
indignis distinguat. Nugamenta illa discutit sana ratio, quæ irradiata  
revelationis majestate indubios nos certissimosque reddit divinæ  
providentiæ, non cæco quodam, sed justitiæ oculo universa intuen-  
tis & discernentis.

7. Non in pari statu sese habent: *Πρόσθετος* fides,  
& *ἀπόσθετος* fide: Ac illa abstracta & concreta; homicidi-  
um & homicida, improbitas & improbus, apostasia & apostata,  
ut quidem Spanheimio videtur, *ἀπόσθετος* à fide *πρόσθετος*  
dicto modo denominari.

8. Nobilis virgo in uxorem à comite ducta, titulo comi-  
tissæ *Wolgeböhne* salutatur & merito. Quinimò; si ubique uxor  
dignitatem acquirit & obtinet mariti virgo non nobilis uxor facta  
nobilis, titulum obtinebit *der Edelgeböhrn*. Ita recens nobilita-  
ti dignitatis intuitu eodem gaudent nomine.

9. Parum salutis salutipotationibus tribuunt L. *Mauriti*  
& *Oweni* VV

Qui vult alterius cyathis haurire salutem  
Tale lucrum referat, perdat ut ipse suam.

Quòtibi potarum plus est in ventre salutem,  
Hoc minus è potis hisce salutis habes.

Una salus sanis, nullam potare salutem

Non est in potu vera salute salus.

10. Usuræ, aut potius pensiones & annui census, inter Chri-  
stianos licitè exerceri possunt, si modus  
non excedatur, nec judai-  
zetur.

FINIS.

\* \*

\*

z,  
ab  
ata  
naz  
n-  
es,  
di,  
ata,  
ig<sup>o</sup>  
mi-  
xor  
acta  
lita  
viti

Ché




QVOD FELIX SIT!  
ILLUMINARE.

SIVE  
DISPUTATIO SOLENNIS,

Colour & Grey Control Chart

Danes Picta




Acad. p. t. PRO-RECTORE  
PROMOTORE RITE DESIGNATO.

Publico Omnium cujuscuq<sub>3</sub> Facultatis  
DN. PROFESSORUM subji-cent examini

Atq<sub>2</sub>  
Ad subsequencia quivis adscripta respondebunt

THEMATA,

HIV Henr. Eximio Eximio D. L. L.



6 8 L 9 S

GISSÆ HASSORUM,  
Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Acad. Typogr. Ordia.